

ferè modo purgat. Est è flavo paulo rufioris coloris, quam illud, nimirum siccatum: nam molle, croceum tingit colore luteo sive aureo paulo saturatius. Dissolvi potest eodem modo in spiritu vini, & tincturam facit croceam. Nonnumquam ignes luculenti struuntur juxta arborem, quorum potestate cortex delhicet, majoremque fundit lacrymæ copiam, quæ in massam coacta in usum Medicinalem servatur. Quod à me primum tentatum, optime successit.

Olim afflicta hujus Resinæ, in aqua dissolutæ, impetiginem tollebant. Licet autem tantæ efficaciz non sit, quam Gutta Camboides, vulgo Gutta gamba (quod an insitæ tarditati, an præparandi modo sit imputandum, dubito) tamen à drachma dimidiata, ad drachmam unam, per integram noctem in aceto squillitico, aut spiritu vini macerata, & ex vino propinata, ventrem solvit, fortiterque per inferiora exonerat. Meo tamen judicio rectius faciunt, qui dilutum ex acero prædicto, in pilulas accedente stimulo conglobant, quam qui potiones ex illa conficiunt; quod ob tenacitatem difficillime solvatur.

## CAPUT XI.

*Palme Brasilienses.*

**P**lurima Palmarum genera producit Brasilia. Quarum aliquæ sponte crescunt in silvis, ut *Inaiá*, *Carnaiba*, *Tucón*, *Frucurí*, *Giçára*, *Aqué*, *Iráiba*, *Airi*, *Miriri*, *Mairaiiba*, *Giçará*, & aliz: Quædam vero aliunde huc olim translata & quasi nativæ factæ, ut *Cocotro* & *Palma* dactylifera.

Inter Silvestres indigenas frequentissima est, quæ *Inaiá* Brasilianis, vulgo Lusit. *Pindova* nucifera dicitur. Eximia & proceræ est arbor, densissima nemora conficiens: lignum albicans & scabrosium corticis loco habet; ligni autem loco fungosam & intus flosam medullam facile combustibilem, è qua sana & fortissima lixivia norunt conficere. Nullum præterea aut certe exiguum præstat ulum: ad ornatum duntaxat ob insignem altitudinem & ramos pulchre porrectos expetitur; iis siquidem eleganter comatis, & foliis radiatis utrimque vestitis, Lusitani atria & templorum parietes exornant, Indigenæ vero loco regularum tuguria sua ad pluvias arcendas sternunt. Fiscellas quoque & vasa viminea ex illis conficiunt. Folia autem hujus arboris non ita dependent in orbem, ut *Cocotro*, sed maximam partem stant surrecta. Haud commode cæditur arbor, ob mollitiem qua ferri aciem obrundit.

Prope foliorum exortum, etiam rami proveniunt penduli, proferentes racemos, quatuor vel quinque pedes longos, plenos flosculis, post quos etiam racematim proveniunt fructus vel centum in uno racemo, ovi gallinacæ figura & mole, aut etiam majore, fastigium habentes acuminatum: altera extremitate insident calici vel cupulæ, ut *Nux pinea*, foliis triangularibus constant.

PINDOVA.



L 3

Maturus